

Fulcras erismatum facile intelliget cui non sit incognitum scalarum id genus quo nostri vtuntur legendis ab arbore fructibus, putandis etiam iugatis & copluuiatis vitibus quum non est cui alterius generis scalæ applicentur, hæreant ue. (De his enim mihi sermo est quæ huc atque illuc trãfferri possunt, gestatorias si videtur appellemus.) Fit autem id scalæ genus hoc pacto. Tigilla siue fustes arrectarii duo quotlibet teretibus baculis traiciuntur. (Fortasse nunc non inepte vocentur scandulæ, quòd ipsis ab inferioribus ad superiora ascendatur, Ciceroni verò gradus dicuntur) tertius fustis quòd fibula coniunctus liberam habet versationē, vt explicari cū libet, & complerari possit, diuaticatus præstat vicem erismatis, idest obnitētis fulcri. **ORGANA VNIVS OPERÆ.** Dixit machinas pluribus operibus habere effectus, quare hoc loco scribo opere tertia inflexione. Qui operæ scripserunt ab opera, falsi sunt quod postea sequitur prudenti tactu. **CONNEXVS STAMINIS AD SVBTEGMEN.** Stamen idest stantia in longum fila, radio cum subtegmine, idest trama percurritur, in filium alterna sublatione & depressione, pendentisq; pectinis percussione densatur in telam aut pannum. Id organicis administrationibus fit, quod in textrina libro docebimus cum cæteris eius generis. **SARRACORVM.** Sarracum plaustris esse genus discas ex Iulio Capitolinio in Antonino philosopho. Tanta, inquit, pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera exportata sint, sarracisq;. **FOLLES FABRORVM.** Fabrorum folles quibus in fornacibus & caminis vtuntur excitando igni expressit Virg. *Æneid.* 8.